

Experiētiā confirmatum est, quod rectificet & renovet M. sanguineæ fermentationem: Hinc est quod vulgò dicitur, quod sint *Hepatica*, id quod ex modernorum Theoria explicandum & applicandum venit ad M. sanguineam. Santalum rubrum, quod dixi, convenit in M. sanguineæ fermentatione corrigendā. Habet præterea vim adstringentem, sicque corroborantem viscera. Vis cordialis non immerito etiam tribuitur santalo rubro: unde in usu est in quibusdam locis decoctum ex Santalo rubro, quod vocatur decoctum rubrum, propterea quia habet colorem rubrum, item Decoctum alterans. Convenit in febribus biliosis, ardentibus continuis, tertianis intermittentibus & similibus. Unde etiam parari solet cum spir. vini R ex Santalo rubro, quæ commendatur pro corroborando hepare & M. S. fermentatione rectificanda: Huic R si addantur aliquot gr. Scammonii fit R. moderate alterans & laxans. Suave enim sic & elegans evadit medicamentum. Interius adhuc lignum santalum additur decoctis lignorum morbo venereo, phthisi & catarrhis usitatorum, in quibus calorem i. e. amaritiem & vim exsiccandi reliquorum lignorum corrigit. Sic in primis in phthisi in veterata, que à quamplurimi curati solet per decoctum ligni Guajaci, sunt qui huic præferunt decoctum lignorum santalorum sive rubrum sive quod melius citrinum: & commendatum fuit multum decoctum tale à PRÆVOTIO in curanda Tabe seu phthisi etiam hereditaria. Et in primis virtutes hujus decocti santalorum contra erosionem pulmonum & phthisin commendatas videbitis in FRONSECÆ lib. I. cons. 58. non minus quam in RIVERIO ejusque prax. lib. 7. c. 7. A quamplurimi aliis etiam præfertur decoctis ligni Guajaci & ligni Sassafras usitatis: In primis tunc temporis erit egregium, si singulis dosibus addatur 3j. Therebinthinæ venetæ, hujus enim vis pulmonum ulcera purificandi & consolidandi est mirifica: Ut decoctum magis fiat appropriatum vulnerarium antiphthisicum, addi possunt plantæ vulnerariae & præceteris in phthisi expertæ: Hedera, liris pyrola, veronica, Hypericum & similes. Quod dixi de phthisi, intelligendum quoque est de Catarrhis à lymphâ acida & inordinatè motâ abortis saepiusque cum phthisi conjunctis: In his non infimum obtinet locū decoctum hoc ut & reliqua decocta lignorum debite preparatum. Paratur autem uti reliqua, & dixide hac superius ubi de ligno Guajaco. Ex ligno santalo per retortam Δ aperto uti ex omnibus reliquis lignis destillatur SPIRITUS acidus, qui egregie temperat astū bilis & salis volatilis urinosa, & propterea convenit in astū astivo & aliis incalescentiis corporis & morbis calidis. EMPLASTRUM & LINGUENTUM, de quibus habet AUCTOR, sunt in ucontra nimium calorem hepatis & renum: fit enim interdum ut ex nimia sanguinis effervescentia facile in his partibus excitetur calor, inflamatio & ardor, in hoc ardore convenient tale Emplastrum: item in inflammatione renum malaxari solent, talia Emplastra cum o. Nymphaeæ & sic malaxata applicantur partibus nimis ardentibus.

### SANTONICUM der Wurm-Saamen.

Species est absinthii apud nos inusitata & incogni-

ta, ut ut SEMEN ex Venetiis & Indiis advehatur: unde etiam semen solum solet adhiberi, & quidem sanctum s. Alexandrinum: quod hoc attinet obtinuit quod vocatur Wurm-Saamen à specificavi pellendi vermes & adhibetur à mulierculis in lumbricis infantum à 3j ad 3. pro diversitate ætatis propinatur tenellis adhuc in lacte materno, adultioribus in ∇ graminis in ∇ destillata flor. perfic. Hyperici & similibus: vis ejus valde decantata in vermibus pellen-dis, sive solum exhibetur sive admisceatur CC. ustum, semen hyperici aut etiam aloë, & qui omnibus meritò præfertur tantillum q̄ii dulcis, qui est infenissimus hostis omnis progeniei verminosæ. Vis hæc satis est decantata: Nihilominus ROCHAS Gallus, qui scripsit de rebus mineralibus s. metallicis illum suspectum reddit, quando dicit: quod potius pro gignendis, quām enecandis vermibus faciat ex hoc fundamento: quod si recipiatur semen santonicae & admisceatur 3. partibus farinæ optimæ & hæc mistura subigatur, cum ∇. tepida & ponatur in loco calido intra 24. horas vermes progenerentur copiosissimi: & simil modo in corpore tales exinde afferit produci posse vermes. Verum enim verò in hoc afferro gravis latet error. Notum enim est, quod ex omnibus plantis dum putrescant & resolvuntur eorundem particulae generantur vermes, quoniam ergo hoc sit ab omnibus, idem similiter verum erit de santonico. Sic v.g. absinthium, quod si quid aliud resistit vermibus, si putrescat & resolvantur ejus partes constitutivæ, fiunt ex illo vermes: id quod etiam verum est de aloë: Imò ex omnibus plantis, quando putrescant, generantur vermes & quidem diversæ speciei & singulares: sic ex melle & mica panis copiosissimæ generantur formicæ: item ex Indusio usitato in acervum tritici immisso brevissimo tempore generantur perfecti mures: ex indusio generantur pediculi & sic porrò. Quod attinet ergo experimentum ROCHAS, illud nihil probat: probat quidem quod generantur vermes sui generis: sed hoc etiam verum est de aloë, absinthio aliisq; vegetabilibus, quæ tamen non inferiore, propterea vim contra vermes obtinent. Alias notanda venit hic fraus & impostura Empiricorum & circumforaneorum, quorum mentionem facit TABERNÆMONTANUS p. 25. quod hi multos morbos attribuant lumbricis, utut ægri nullos planè habeant: utque suis dictis fidem faciant, recipiunt lumbricos, exsiccant, pulverisant sicque propinant, & ita fit, generantur in intestinis exinde lumbrici alii, quos postero die per medicamenta expellentia vermes exturbant. Videatur TABERNÆMONTANUS loco dicto, qui multus est in perstringenda hæc fraude.

### SAPONARIA das Speichel-Kraut.

Simplex habetur & flore pleno. Hæc quoad folia in primis usurpat, & quidem internè specificè contra luem ♀eam, ad quam expertum dicitur remedium. Deinde etiam hæc saponaria contusa & aquæ injecta, solet excitare spumam & bullas. Hinc BORELLUS Centur. 18. observ. 1. concludit, quod hæc repræsentet spumam, quæ conspicitur circa os Epilepticorum in paroxysmo: Unde hanc adhibuit in Epilepsia non sine successu. Post usum internum sapientia externè adhibetur in balneis & lotionibus tam in Ictero quam scabie &

\*M 2

POTUS